

Phæn. IV.

tem in hoc casu obturaculum utrumque non erat eodem temporis momento remotum, hydrargyri quoque lapsus in utroque crure non simul, sed in uno prius, in altero posterius contingebat. Idcirco ne cui ex hac circumstantia superesse fortè scrupulus posset; alterâ quoque vice res eadem tentata est, ac siphon utriusque manûs indice pressius admoto obturatus, & alterius cuiusdam adjumento inversus; aptatisque decenter extremitatibus A & C suo quoque vasculo, simul remotis utroque digito hydrargyrum etiam simul in utroque siphonis crure, ut antè, delapsum est, nullâ ejus transfusione ex uno vasculo in alterum ne hîc quidem succedente.

Phæn. V.

VI. Deinde verò experimenta eadem ope tubuli recurvi vel siphonis alterius, *a, b, c*, cujus tota altitudo minor erat illâ sub qua in præcedente suspensus hæserat Mercurius, capientes, hunc certè in utroque casu ex vasculo *a* in vasculum *b*, per crus brevius *a b* ascendentem ac per longius *b c* descendentem, transfundi manifestissimè observabamus ex perpetuo augmento stagnantis in vasculo *c* hydrargyri & alterius contra decremento.

Phæn. VI.

Quin &, cùm incidere com- modum, si longius crus *b c* posset subitò reddi brevius altero *a b*, ita sc. ut supra vasculum suum & hydrargyri in ipso summitatem illud emineret intervallo minori quàm hoc Mercurium fore procul dubio retrogradum, elevato mox vasculo *c* (quod commodum adhibueramus profundius) donec hydrargyri stagnantis in ipso superficies attingeret præterpropter partem cruris *d* orificio *a* paulò altiorem; subitò Mercurius ex vasculo *c* in vasculum *a* retrofusus, ac vicissim demisso vasculo *c* in locum pristinum, ex *a* in *c* de novo transmissus cernebatur, novo prorsus, ut credimus, & jucundissimo spectaculo, non comparando tamen cum *Siphone Württembergico*, quem SERENISSIMUS PRINCEPS DN. DN. FRIDERICUS CAROLUS DUX WÜRTENBERGICUS ADMINISTRATOR, &c. &c. cruribus prorsus æqualibus viginti pedes altis (an sub altitudine 30. pedd. majore successu-